OBSERVATIONES CRITICAE

IN

IULIUM FLORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

FRANCISCUS EDUARDUS KOEHLER

VIMARIENSIS

MAGISTER GYMNASII CATHEDRALIS REVALIENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLXV.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER.)

Ottonis Jahnii, viri doctissimi, cura ac studio effectum est, ut Flori libri, quibus post editionem a Salmasio ad codicem Nazarianum (N) institutam non ita multum auxilii adlatum est, cum editores aut in iis, quae Salmasius constituerat, acquiescerent aut ad recentiores et deteriores recurrerent codices, ex codice Bambergensi (B) ita emendati sint, ut Carolus Halmius in praefatione editionis suae, quae anno 1854 apud Teubnerum prodiit, suo iure eam dixerit principem. Et Jahnius quidem ad eam potissimum recensionem, quae in codice B servata est, archetypum restituere sibi proposuit adhibito codice Jordanis (I), qui in libro de successione regnorum ex codice quodam codici B simillimo permulta ad verbum descripsit. Quae inter codices BIN intercedat ratio, eam esse Jahnius statuit, ut, ubi BI consentiunt, de vera lectione fere nusquam dubitari possit, paucis locis, quibus I et B inter se dissentiunt, accurate sit quaerendum, utra lectio praeferenda videatur, codex vero N, quem inter interpolatos integerrimum dicit, tum demum in auxilium vocandus sit, ubi manifesta corruptelae signa in BI apparent. Dicit enim praefationis p. IX, Nazarianum codicem „longe inferiorem esse Bambergensi, non tantum quod vitiis qualia admittere solent librarii magis inquinatus sit, sed quia verba scriptoris ab interpolatore quodam longe plurimis locis licenter immutata repraesentet. Itaque decem tantum locis lectiones codicis N contra consensum BI reposuit, quarum tres Halmius nimio ductus codicis B studio reiecit. Jam vero non alienum videtur ipsa Jahnii verba, quibus legem in crisi verborum Flori factitanda propositam

 1*

professus est (cf. praef p. XXVI), referre: 'apparet in verbis scriptoris constituendis B (vel BI) eius esse auctoritatis, ut relinqui non debeat nisi eis locis, quibus, quod ibi traditum est, si per se spectetur, corruptelae suspicionem movet. tum demum N ita in auxilium adhibere licet, ut caute circumspicias, utrum ea quae meliora tradere videtur ex incorrupto fonte deducta sint, an ab interpolatore profecta veri specie fallant.'

Halmius in praefatione editionis p. I id se egisse dicit, 'ut tandem Florus ad fidem codicis B in paucis egregii diligentissime exigeretur', receptis aliquibus bonis lectionibus ex tribus Jordanis codicibus Bambergensi (Ib), Emmerano (Ie), Pollingensi (Ip), et in iis, quae de editione Jahniana exposuit (Neue Jahrbücher Bd. 69 p. 195), se persuasum habere Flori verba aliquanto accuratius ad codicem B recensenda esse, quam a Jahnio factum sit. Nihilo minus recte nonnullas lectiones codicis N a Jahnio sprètas recepit, quarum graviores adscribam.

Ex quo tempore illae editiones emissae sunt, nemo, quantum sciam, Flori crisi operam dedit exercendae, nisi quod Leonardus Spengelius commentationi suae, qua de vitiis Flori et virtutibus in historia conscribenda ostentatis accurate disseruit, nonnullas adiecit coniecturas codice N prorsus reiecto. Viri docti igitur quamquam in recensionibus Jahnii et Halmii acquiescere videntur, tamen maxime vereor, ne codici B maiorem quam aequum erat habuerint fidem: quare aliam verborum Flori constituendorum rationem proponam. Codicem B in universum Nazariano esse meliorem concedo, neque vero eius eum esse fidei atque auctoritatis, quam ei viri docti tribuerunt, existimo, sed potius ineptis librariorum additamentis et interpolationibus et ipsum esse foedatum. Quare quovis loco accurate quaerendum est, utrius recensionis lectio Flori dicendi consuetudini, arte in periodis componendis conspicua, quod Jahnius et Hal-

mius nimis neglexerunt, auctoritate eorum, qui Flori libros exscripserunt, denique fide historica comprobetur. Locis vero, quibus sententiam meam me probaturum spero, emendationes quasdam a me ipso inventas interponam. Notis usus sum ab Halmio usurpatis his:

B = cod. Bambergensis Flori.
N = cod. Nazarianus Flori.
I = codices Jordanis (Ib; Ie; Ip).
O = Jahnius. H = Halmius.

Pag. 6, 3. Prooem. Dicitur de aetate inde ab Appio Claudio Quinto Fulvio consulibus ad Caesarem Augustum: 'hic iam ipsa iuventus imperii et quasi robusta maturitas' BOH; iuventas N, et sic scribendum est. Hac enim forma Florus in secundo aetatis populi Romani gradu usus est significando, ut p. 5, 17. 18 'si quis totam (populi Romani) aetatem percenseat, ut coeperit, utque adoleverit, ut quasi ad quandam iuventae frugem pervenerit, ut postea velut consenuerit'. p. 28, 21 (I, 18. II, 1), ubi aperte ad prooemium respicitur: si qua iuventas (est), tum ille vere robustus et iuvenis . . esse coepit. Contra pag. 6, 7 'senectus quasi reddita iuventute reviruit' iuventus significat robur iuvenile. Ceterum non tacebo, p. 6, 19 in codice N 'iuventae' pro 'iuventutis' scriptum esse, ubi dubitatio relinquitur. 'Iuventus' Florus plerumque pro iuvenibus ponit, ut p. 7, 13 (I, 1). 8, 18 (I, 1). 17, 23 (I, 7). 73, 22 (I, 44. III, 10).

P. 6, 14 (I, 1) 'relictis catulis lupa secuta vagitum uber admovit infantibus' BOH; NIp 'ubera', quod rectum puto. Nam quicunque scriptores rerum Romanarum hanc rem narrant, plurali huius vocabuli utuntur, mammas nimirum significantes, quas hae bestiae plures habent, duobus parvulis praebitas. Livius I, 4, 7 dicit: 'tenet fama lupam summissas infantibus — praebuisse mammas'. Justinus, qui rem bis narrat, XXXVIII, 6, 8 'atque ut ipsi fecerint (fortasse: finxerint)

conditores suos lupae uberibus altos' et XLIII, 2, 5 'sed Fortuna . . pueros lupae alendos obtulit, quae amissis catulis distenta ubera exinanire cupiens nutricem se infantibus praebuit'. Aurelius Victor de vir. illustr. I 'ad vagitum lupa accurrit eosque uberibus suis aluit'; Ovid. F. II, 4, 9: Marte satos scires: timor abfuit, ubera ducunt. Verg. Aen. VIII. 631: procubuisse lupam: geminos huic ubera circum ludere pendentis pueros.

P. 8, 18 (1, 1). 'hic (Tullus Hostilius) omnem militarem disciplinam artemque debellandi condidit; itaque mirum in modum exercita iuventute provocare ausus Albanos' O; H recte scripsit cum N 'bellandi'. Nam Floro debellare est hostes ad internecionem delere eoque bellum finire, quae notio hic locum non habet. cf. 40, 27 (I, 22. II, 6) Hasdrubalem Claudius Nero cum Livio Salinatore debellat (ad Metaurum); 41, 9 populus R. magni aestimabat asperrimum hostem in sua Africa debellare. 54, 24 (I, 33. II, 18) foedus maluerunt, cum debellare potuissent. 65, 28 (I, 39. III, 5) ut debellandum tradidisse regem ventis videretur. 65, 1 debellatum foret, nisi de Mithridate triumphare cito quam vere maluisset. 74, 5 (I, 45. III, 11) dum Gallos per Caesarem debellat. Illud 'de' codicis B ex syllaba praecedente ue ortum est. Sed quod H. in praefatione p. IV dicit deinde scribendum esse 'exercitata', ut exhibet codex Emmeranus Jordanis, respiciens lectionem B 'exercitate', cum eo non consentio. Equidem 'exercita', quamquam raro pro 'exercitatus' invenitur, praetulerim, quod NIh et Orosius praebent, qui hoc loco, ni fallor, Florum exscripsit II, 4: 'Tullum Hostilium, militaris rei institutorem, fiducia bene exercitae iuventutis Albanis intulisse bellum'. Ceteri scriptores Romani de iuventute exercitata nihil dicunt. Monendum puto, Orosium in iis, quae p. 7, 10 antecedunt, consentire cum N in voce 'dirutum': 'Caeninensium captum ac dirutum oppidum' ubi BI habent 'direptum'. Orosius igitur codice

ex eadem recensione, unde N fluxit, deducto usus esse videtur, quamquam de eo, ut nunc res est, certum quid statuere velle ineptum est.

P. 9, 12 (I, 1. I, 4) 'Ancus deinde Marcius, nepos Pompilii ex filia, raro ingenio. Igitur et muro moenia amplexus est et interfluentem urbi Tiberinum ponte summisit' BOH. Hic locus optime docet, quanta adhibenda sit in verbis Flori restituendis cautio, et quam accurate quoque loco lectiones utriusque recensionis examinandae. Codices mire inter se discrepant, B exhibet raro, N pari, I pravo. OH codicem B secuti 'raro' in textum receperunt. Sed quid hoc raro significet, et quomodo cum iis, quae sequuntur, apte coniungi possit, non intelligo. Nam si quis raro ingenio est, inde non sequitur eum moenia muro amplecti, pontem struere, urbe condita commercio consulere. Itaque 'raro' plane superfluum et languidum est. Contra si dicitur Ancus pari ingenio ac Numa fuisse, necesse est eum paci et rebus domesticis studuisse. Lectio Nazariani igitur 'pari' unice vera est. Accedit, quod Florus adiectivum 'par' saepissime simili ratione cum substantivo coniungit: p. 8, 19 (I, 1. I, 3) pari robore, 17, 29 (I, 7. II, 13) pari clamore et impetu, 18, 3 (ibid.) pari vecordia, 50, 2 (I, 31. II, 15) pari voce, 53, 23 (I, 33. II, 17) pari temeritate, 58, 12 (I, 36. III, 2) pari audacia, 64, 11 (I, 39. III, 5) pari terrore, ibid. 21 pari violentia, 68, 26 (I, 40. III, 6) plausu undique pari, 80, 19 (II, 3. III, 15) pari tumultu atque terrore, 112, 6 (II, 20. IV, 10) pari reverentia. Nondum vero locus sanatus est. Unde enim mirae lectiones 'raro, pravo' in BI?

avo

Puto in archetypo scriptum fuisse 'pari ingenio', unde in codice Jordanis factum est pravo, in B raro. Itaque non dubito, quin Florus et Jordanes scripserint 'pari avo ingenio' aut, si praetuleris, 'par avo ingenio'. Cf. Liv. I, 32, 2: Inde et civibus . . . facta spes in avi mores et instituta

regem abiturum. Aurel. V. de vir. ill. IV: Ancus Marcius Numae Pompilii ex filia nepos aequitate et religione avo similis. De genere corruptelae cf. p. 42, 17 (I, 23. II, 7), ubi 'qui navibus', quod Freinshemius egregia coniectura restituit, in 'quibus' depravatum est.

P. 10, 1—5 (I, 1. I, 5) 'inde fasces trabeae curules anuli phalerae paludamenta praetextae, inde quod aureo curru, quatuor equis triumphatur, togae pictae tunicaeque palmatae, omnia denique decora et insignia, quibus imperii dignitas eminet, adsumpta sunt' O; sumpta sunt IH; ea sumpta sunt B, om N. Verba codicis B 'ea sumpta sunt' glossematis speciem prae se ferunt; nam etiamsi Jahnii et Halmii coniecturas admittimus, vix ferri potest ex verbis 'adsumpta sunt', quae praedicati locum tenent ad 'fasces, trabeae . . . praetextae . . omnia denique decora et insignia', ad enuntiatum his nominativis interpositum 'inde quod aureo curru, quattuor equis triumphatur' suppleri 'adsumptum est'. Omnino 'ea' codicis B glossema indicat. At multo gravius est, quod Floro in usu est originem alicuius rei, bellorum, certaminum, institutorum, cognominum, et quae sunt similia, particulis inde, hinc, unde omisso verbo indicare, quod exemplis evincam. Et 'inde' quidem hoc loco 'ex qua re' indicare, neque vero 'deinde', apparet. P. 7, 17 (I, 1) hinc templum et Stator Juppiter. 9, 5 (I, 1. I, 3) spes inde nostris, metus hostibus. 9, 27 (I, 1. I, 5) inde Romanis sacer auguratus. 17, 7 (I, 7. I, 13) ferocius agunt (Galli), et inde certamen. 19, 2. 4 (I, 8. I, 13) torquem barbaro detraxit, unde Torquati. — sacra alite adiutus tulit spolia; et inde Corvini. 22, 24 (I, 13. I, 18) legationem per contumeliam violant; et hinc bellum. 38, 7. 8 (I, 22. II, 6) Fabius novam victoriam commentus est, non pugnare. hinc illi cognomen cunctator, hinc illud ex populo, ut imperii scutum vocaretur. 51, 14. (I, 32. II, 16) et hinc Achaicum bellum. 52, 17 (I, 33. II, 17) inde contagium serpens causaeque

bellorum. 76, 4. 8. 14 (I, 46. III, 12) hinc ergo Gracchanae et Apuleiana seditio — hinc Drusus et promissa civitas Latio et per hoc arma sociorum — atquin inde Mariana, inde Sullana tempestas. 116, 8 (II, 25. IV, 12) Delmatae sub silvis agebant; unde in latrocinia promptissimi. 121, 15 (II, 33. IV, 12) hinc statim fuga in eminentissimum Vindium montem. — Quae cum ita sint, non dubito, quin p. 82, 9 (II, 5. III, 17), ubi B exhibet 'unde et natalium Druso aemulatio accesserat', N 'unde et natalivio Druso aem. acc.', Jahnius ex Hauptii coniectura 'una natalium a Druso aemulatio facessierat', Halmius 'unde et natalium Druso aemulatio accesserat', rectum sit, quod Halmius in praefatione p. XV proposuit 'unde et nata Livio Druso aemulatio'; et p. 120, 5 (II, 31. IV, 12) Jahnius bene lectionem codicis N 'unde illi Gaetulici nomen latius quam victoria patet' correxerit in 'pariter'; quamquam 'patet' etiam glossema esse potest, ut Halmius statuit. — Aliter comparati sunt duo loci p. 26, 15 (I, 17. II, 22) ubi legitur 'inde est, quod exercitus Postumium lapidavit; quod noluit vincere; quod fracti fasces' et 19 'inde clarissimos principes exulatione multavit'.

P. 10, 27 (I, 1. I, 7) 'sic valida oppida Latii capta sunt, Ardea Ocricolum Gabii Suessa Pometia' O ex coniectura Hauptii; H Latii oppida; B oppida Latio; N oppida in Latio; I Latio oppida. Lectionem N genuinam esse ostendit Orosius II, 4 'oppida valida in Latio per eum capta, Ardeam Ocriculum Suessam Pometiam, et quicquid in Gabios perpetravit'. Inde enim, quod Orosius Ocriculum inter oppida Latina nominat, elucet eum hunc locum ex Floro depromsisse, cum neque Livius nec reliqui scriptores, qui hanc rem narrant, huius Umbrici oppidi mentionem faciant. Sauppius, vir doctissimus, 'Latio' glossatoris esse iudicat.

P. 11, 5 (ibid.). Sermo est de templo a Tarquinio de praeda captarum urbium erecto: 'quod cum inauguraretur,

cedentibus ceteris dis — mira res dictu — restitere Juventas et Terminus' ON. Nescio, quid Halmium commoverit, ut manifestam codicum BI interpolationem 'mira res dicitur extitisse' in textum reciperet, quam et constans Flori loquendi consuetudo et ipsa verborum collocatio prodit. Adscribo exempla a Spengelio p. 11 collecta: immane dictu 13, 22 (I, 4. I, 10), horribile dictu 21, 9 (I, 11. I, 16). 36, 14 (I, 22. II, 6). 65, 16 (I, 39. III, 5), incredibile dictu 39, 14 (I, 22. II, 6). 44, 26 (I, 34. II, 8), mirum et incredibile dictu 28, 22 (I, 18. II, 1). Addo eos locos, quibus idem dicendi genus recurrit, nisi quod verba exclamationem non continent: 7, 20 (I, 1) secutaque res mira dictu, 40, 15 (I, 22. II, 6) parva res dictu sed satis efficax, 41, 4 difficile dictu est, 57, 5 (I, 34. II, 20) sed hanc difficile dictu est, utrum —, 96, 18 (II, 13. IV, 2) turpe dictu, 116, 18 (II, 26. IV, 12) horribile dictu est. Itaque non est dubium, quin Nazariani codicis lectio sit probanda.

P. 11, 27 (I, 2. I, 8) 'nisi ut ipsa se nosset Romana res publica' BIOH; N 'Romana' omittit. Nomine populi Romani ineunte capite proposito Florus progressus eius sub singulis regibus recenset nusquam addito adiectivo 'Romanus' ad voces 'populus, res publica', quare in hoc uno membro positum maxime suspicionem glossematis movet. cf. v. 19 ut rei publicae ratio et utilitas postulabat. 21 ut ferox populus mitigaretur. P. 12, 3 ut agitatus iniuriis populus cupiditate libertatis incenderetur. Itaque 'Romana' omittendum esse puto ex auctoritate codicis N.

P. 13, 14 (I, 4. I. 10) scripsit Jahnius 'tunc illa ni Romani nominis prodigia adque miracula'; H illa Romani nominis; B illa in Rom. n. pr.; N illa Romana prodigia. Cum Florus fore dicat, ut haec miracula, nisi in annalibus essent, fabulosa viderentur, coniectura Jahnii parum verisimilis est. Quod Halmius in praefatione p. III coniecit 'illa immania Romani nominis prod.' non magis placet. Quam proposuit

Spengelius coniecturam 'tunc illa in Romanis nominibus prodigia' eo refutari puto, quod, si Florus sic scripsisset, haud dubie statim mirabilia illa nomina posuisset, Cocles, Scaevola, Cloelia, neque vero paulo infra. Aut 'in' inducendum est, aut fortasse scribendum 'tunc illa tria nominis R. pr.', quod III scriptum librarius in 'in' mutavit. Eandem nominis numeralis collocationem legimus p. 75, 9 (I, 46. III, 12) haec est illa tertia aetas N; B om. tertia.

P. 15, 23 (I, 6. I, 12) 'caesi apud Cremeram trecenti, patricius exercitus; id scelerato signat nomine, quae proficiscentes in proelium porta dimisit' O; sic scelerato signata nomine H; it scelerato signat nomine B; et scelerato signata nomine N. Nulla harum lectionum placet; nam id h. e. cladem non signat porta, sed potius porta signata est ex clade; neque 'sic' aptius positum videtur. Si vestigia cod. B et consuetudinem Flori sequimur, scribendum est 'itaque scelerato' recepta codicis N lectione 'signata nomine'. cf. p. 17, 9 (I, 7. I, 13) non temere foedior clades; itaque hunc diem fastis Roma damnavit. Lectio vero Nazariani suspicionem movit versum intercidisse, ut 'dies, quo id factum est, inter nefastos relatus et scelerato' et quae sequuntur; aut 'sceleratus dictus fluvius, qui perdidit' etc. cf. Aur. V. d. v. i. VII, 14: dies quo id factum inter nefastos relatus. Porta, qua profecti fuerant, Scelerata est appellata. Oros. II, 5: infamibus usque ad nunc vocabulis testes sunt fluvius, qui perdidit, et porta, quae emisit. Liv. VI, 1, 11: diem ante diem XV Kal. Sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Aliam cum exitio urbis foede pugnatum, a posteriore clade Aliensem appellant.

P. 16, 12 (I, 6. I, 12) adactus miles sua sponte iure iurando ne nisi capta urbe remearet. spolia de Larte Tolumnio rege ad Feretrium triumpho reportata OH; adactus miles sua sponte iure iurando ne nisi capta urbe remearet. spolia de Larte Tolumnio rege afferret. triumphum

reportaret B; spolia de Larte Tolumnio rege ad feretrium reportata N. Halmius, qui in textu editionem Jahnianam sequutus est, in praefatione p. V de lectione codicis B dicit: 'haud scio an haec ipsa scriptura recipienda fuerit; nam iam recte Dukerus monuerat: "Perizonius in Animadv. Hist. c. VII multis disputat, Cossum retulisse spolia opima a. u. 317, cum tribunus militum in legione esset. Sed sive tum sive magister equitum sive consul ea retulit Cossus, Florus non caret reprehensione, qui turbata ratione temporis narrationi de obsidione Veiorum interponat, quod minimum XX annis ante eam inchoatam gestum fuerat". Quodsi Florus tanto opere erravit, potuit illum quoque errorem in se admittere, ut militem iurantem faceret se spolia de rege relaturum esse'. Haec Halmius in praefatione, sed in iis, quae de editione Jahniana retulit, p. 190 expressis verbis dicit, se persuasum habere lectionem codicis B unice veram esse, qua recepta oratio melior fiat, etsi fides historica imminuatur. Hanc ego concludendi rationem, qua, quod rationem temporis turbavit Florus, eum etiam contra sanam mentem peccasse accipere cogimur, minime probare possum, sed potius suspicor, Halmium, virum praeclarissimum, nimio amore codicis B adductum esse, ut ad lectionem eius defendendam et sustinendam Florum eiusmodi peccati argueret, contra logicas quas dicunt regulas commissi. Militem Romanum iureiurando adigi non potuisse, ut de persona regis cuiusdam spolia afferret utque triumphum reportaret, quippe qui decerneretur neque vero ex voluntate militum, facile intelligitur. Deinde nomen Feretrius hic non potest abesse, nam erat alterum spoliorum Feretrio reportatorum exemplum, quae tria potissimum apud scriptores referuntur, de Agrone Romuli, de Larte Cossi, de Viridomaro Marcelli, quae Florus et ipse expresse enumerat: cf. 7, 11 (I, 1) spolia insuper opima de rege Agrone Feretrio Jovi manibus suis rex reportavit. P. 34, 12 (I, 20. II, 4) occiso enim rege (Virido-

maro) Marcellus tertia post Romulum patrem Feretrio Jovi opima suspendit. Ampel. 19, 30 Qui spolia opima rettulerunt. Romulus de Acrone Caeninensium rege. Cossus Cornelius de Larte Tolumnio Veientium rege. Claudius Marcellus de Viridomaro rege Gallorum. Aurel. V. d. v. i. 25 de eo (Larte Tolumnio) spolia opima Jovi Feretrio secundus ab Romulo consecravit. Restituenda igitur est lectio Nazariani: spolia de Larte Tolumnio rege ad Feretrium reportata. Vocabulum 'triumphum' a librario in B intrusum est, qui, cum 'ad Feretrium' non intelligeret et scripsisset 'adferret trium', de suo adiecit syllabam phum, ut sensum quendam efficeret. Similiter in B p. 39, 13 (I, 22. II, 6) 'exercitus illam Annibalis eruditricem' primum syllaba tus repetita est, deinde ex arbitrio scriptum 'pusilli iam Annibalis'; p. 120, 13 (II, 32. IV, 12) 'victor gentis Tigranes' pro 'victo rege Tigrane'. Nisi abhorreret a scripturae vestigiis, suspicio nasceretur in syllaba phum latere 'Jovem', quo vocabulo non bene caremus.

P. 19, 6 (I, 8. I, 13) qui incensam a se Romam urbem gloriaretur O; Romanam BINH, et item p. 87, 12 (II, 8. III, 20) de invadenda urbe Romana. Halmius ad defendendam rariorem locutionem, quam recte reposuit, affert in praef. p. VI Ampel. c. 20 in urbe Romana, ad quae exempla addo Liv. epit. 13: populabundus ad urbem Romanam processit.

P. 21, 17 (I, 12. I, 17) 'Etruscorum duodecim populi, Umbri in id tempus intacti, antiquissimus Italiae populus, Samnitium reliqui in excidium Romani nominis repente coniurant'. Jam Salmasius monuerat, inter hos populos, qui acervatim populo Romano suscipiendi fuere, Gallos, quos Livius lib. X et in epitoma inter reliquos recenset, perperam omissos esse, praesertim cum Florus ipse mox quattuor agminum signa per Etruriam infesta volitasse referat; ob quam rem Freinshemius coniecit scribendum esse 'Umbri i. i. t. i., a. I. populus, Samnium Gallique', ut Begerus edidit,

vel 'populus Samnitium, Gallique'; Dukerus 'reliqui Gallique', sed puto rem sic se habere: Florus postquam modo narravit Gallos ad internecionem deletos esse — p. 19, 5 (I, 8. I, 13) omnis reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis duce Dolabella (ex coniectura Spengelii) delevit, ne quis extaret ex ea gente, qui incensam a se Romanam urbem gloriaretur' et paulo ante 'ut hodie nulla Senonum vestigia supersint' — memor huius narrationis Gallos consulto omisit, sed nihilominus, qua fuit levitate, quattuor agmina, ab auctore suo commemorata, recensuit.

P. 24, 15 (I, 13. I, 18) 'quae autem eorum, qui superfuerunt, in reparando exercitu festinatio' NO; 'qui superfuerunt' om. B, Halmius Seebodium secutus in praef. p. VI foedum glossema esse dicit, parum recte. Equidem auctoritate codicis B non inducor, ut haec verba spuria iudicem. Enunciatum 'sed et bello et pace et foris et domi omnem in partem Romana virtus tum se adprobavit, nec alia magis quam Tarentina victoria ostendit populi Romani fortitudinem, senatus sapientiam, ducum magnanimitatem' in iis, quae sequuntur, accuratius explicatur, ita ut, quae illo tempore ostentatae sint a Romanis virtutes, exemplis maxime insignibus illustrentur. Qua in re Florus accurate, quam antea proposuit, retinet distinctionem, qua fortitudo in populo, sapientia in senatu, magnanimitas in ducibus et bello et pace apparuit. Ac populi quidem fortitudo observanda est primum in iis, qui in proeliis occisi sunt, deinde in superstitibus, quo prima laudis pars absoluta est; laus senatus comprehenditur verbis 'senatum regum esse confiterentur', ducum in morum severitate et abstinentia Curii et Fabricii. Sic verba 'qui superfuerunt' hic abesse non posse, iis, quae modo disputavi, demonstratum puto; nam 'eorum' per se positum ad totum populum pertineret, cum hoc loco superstites cum laude occisis disertis verbis opponantur. Ex iis, quae de arte, qua haec particula composita est, disse-

rui, elucet, etiam v. 22, ubi O ex auctoritate codicis B scripsit 'quid porro ipsi duces', lectionem Nazariani unice veram esse 'qui', quod Halmius reposuit; semper enim quaeritur, non quid egerint populus, senatus, duces, sed quales fuerint, ob quam rem fortitudo, sapientia, magnanimitas firmae stabilesque virtutes Romanis, qui tunc fuerunt, attribuantur. cf. v. 9 quinam illi fuerunt viri, quos obtritos accepimus; v. 15 quae autem eorum, qui superfuerunt, in reparando exercitu festinatio; v. 19 qui autem ille senatus fuit. Quare necessario sequitur, quod N praebet 'qui porro ipsi duces'.

Eiusdem p. 24 v. 27 scripsit O: quis ergo miretur eis moribus, ea virtute militum victorem populum Romanum fuisse, unoque bello Tarentino inter quadriennium maximam partem Italiae — subegisse' ex deterioribus codicibus, ad quos N exhibens 'victorum populum Romanum' proxime accedit. Mire Halmius, quae in B leguntur 'quis ergo miretur his moribus ea virtute militum exercitum populi Romani fuisse', in editione scripsit, qua re quantopere amori codicis B indulgeret denuo demonstravit. Dicit enim praefationis p. VI: 'intactam reliqui lectionem codicis B: quis ergo miretur his moribus (i. e. cum hi essent mores) ea (i. e. tanta vel tali) virtute militum exercitum populi Romani fuisse? Ego quidem non video, quid in hac dicendi ratione 'exercitum p. R. ea virtute militum fuisse' recte reprehendi possit. Lectio, quam habet Jahnius, ex interpolatione orta est', quibus verbis se artem et rationem, qua Florus h. l. sententiam cum vi pronuntiatam, nunquam alias virtutem populi Romani melius se approbasse quam bello Tarentino, uberius persequitur, non perspexisse ostendit. Ea enim, quae sequuntur inde a verbis 'quis ergo miretur', conclusionem eorum continent, quae modo exposita sunt. Nam tantam fortitudinem, quantam populus Romanus ostendit, quam ipse hostis admiratus est et in iis, qui in proeliis occisi erant, et in super-

stitibus, tales senatus ducumque mores domi militiaeque ostentatos quivis summo iure mirari debet, quippe qui prorsus eximii et insignes sint; sed cum inessent tum in populo, senatu, ducibus, fieri non poterat, quin Romani vincerent, et quod vicerunt non iam mirabile est. Comprehendit igitur scriptor his duobus vocabulis 'moribus virtute', quae modo exposuit, conclusione subiuncta, quam ut cum vi pronuntiet, forma interrogationis usus est, ad quam quomodo respondendum sit ex sententia Flori, non potest esse dubium. Recta sententiarum ratio ac cohaerentia quantopere Halmii scriptura turbetur, ita ut tota conclusio prorsus iaceat, qua scriptura, quae primario loco est posita virtus et exemplis insignibus illustrata, quodammodo in dubium vocatur eo, quod ex ducum et senatus pendere eam moribus statuitur, neminem fugit. Itaque dubium non est, quin ad concinnitatem totius periodi restituendam, quam equidem, si artem rhetoricam spectamus, egregiam esse iudico, ex auctoritate codicis N et recentiorum codd. scribendum sit: 'eis moribus, ea virtute militum victorem populum Romanum fuisse', nisi forte 'his moribus', ut BN habent, ita defendi potest, ut 'his' ad mores modo dictos, 'ea' ad virtutem populi pertineat. Ceterum iam 'ea virtute militum exercitum fuisse' nescio quid languidi habet.

P. 28, 9 (I, 17. I, 26) Jahnius, quae codd. habent, scripsit: 'largitione, Cassium agraria lege suspectum regiae dominationis praesenti morte multavit', lacunae signo ante 'largitione' posito. Halmius cum nollet lacunam relinquere, voce 'largitione' transposita scripsit: 'Cassium agraria lege, Maelium largitione suspectum — pr. m. m.', quo effecit, ut hic narrata bene respondeant iis, quae Livius, Aurelius Victor, Ampelius retulerunt. Verum Salmasius recte vidisse mihi videtur, Florum in iis, quae de poenis horum virorum tradit, Spurium Maelium perperam permutasse cum Spurio Cassio. Nam si verba 'ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius

sumpsit' ad Cassium pertinerent, eum praenomen addere necesse erat, sed ut ex codicum scriptura colligere possumus, Maelio hoc tribuit. Neque inest in codicibus ullum vestigium, unde, quomodo 'largitione' suo loco motum sit, suspicari possimus. Lacunam igitur si explere volumus, scribendum est: 'Sp. Maelium frumentaria largitione, Cassium agraria lege suspectum', adiectivo 'frumentaria' ex Ampelio addito, quo, si et sententiam et totius periodi conformationem respicimus, carere non possumus. cf. Amp. XXVII: Maelius cum frumentaria largitione affectare regnum videretur, iussu Quinctii Cincinnati dictatoris a magistro equitum in rostris occisus est. Certa sane coniectura h. l. proponi nequit.

P. 32, 2 (I, 18. II, 2) 'aput Panhormum sic hostes cecidit, ne amplius eam insulam adgredi cogitarent' BIO; N 'ut ne'. Halmius in editione lectionem codicis B retinuit, sed in praef. p. VIII bene dicit levi emendatione 'ut nec' legendum esse, quod in praef. p. XIV ad p. 82, 1 (II, 5. III, 17), ubi BIN habent 'ut ne primam', usitatum Floro dicendi genus esse multis comprobavit exemplis.

Ibidem Halmius recte dicit se paullo post praeferre lectionem Nazariani 'ibi statim classe demersa, ubi ille praecipitari pullos iusserat' (Appius Claudius consul), ubi BO exhibent 'ab his'. In re ipsa, quod editores non monuerunt, Florus more suo erravit, nam Appium Claudium consulem, qui contra auspicia pugna commissa a Poenis victus est (cf. Liv. epit. 19), cum collega eius Junio, qui, cum auspicia contempsisset, classem naufragio amisit, confudit et quod Junio accidit ad Appium Claudium transtulit. Cf. Cicero de nat. d. II, 3: qui risus (deorum) classe devicta multas ipsi (Claudio) lacrimas, magnam populo Romano cladem attulit. Quid? collega eius Junius eodem bello nonne tempestate classem amisit, quum auspiciis non paruisset? Oros. V, 10: Caius quoque Junius, collega Claudii, universam classem naufragio amisit.

P. 33, 13 (I, 19. II, 3): 'denique utrique cotidiani et qua-

si domestici hostes tirocinia militum inbuerant, nec aliter utraque gente quam quasi cote quadam populus Romanus ferrum suae virtutis acuebat' BOH. N 'inbuebant', quod restituendum est. Florus dicit deorum cura factum esse, ut populus Romanus semper in armis tractandis exerceretur. Itaque tirocinia militum alia esse nequeunt ac Romanorum. Inde, quod supra dictum est, 'Ligures, Insubres Galli nec non et Illyrii lacessebant', et ex verbis 'nec aliter acuebat' elucet, utrumque eodem tempore factum esse, ut et hostes usu belli quasi instruerent et Romani ferrum virtutis acuerent. Sententiae igitur in id coeunt, hostes effecisse, ne populus Romanus languesceret.

P. 34, 5 (I, 21. II, 4) Halmius bene ex cod. Ip scripsit: 'hi saepe et alias et Brittomaro duce non prius posituros se baltea quam Capitolium ascendissent iuraverant', nisi quod ex codice N levi emendatione erat recipiendum 'soluturos' pro eo, quod scriptum est 'solituros'. Nam quod Florus pergit: 'factum est; victos enim Aemilius in Capitolio discinxit', puto lectionem Nazariani veram esse, quippe quae vocabulo 'discinxit', quod ad soluta spectat baltea, optime respondeat.

P. 35, 8 (I, 22. II, 6): 'hinc ultionem puer Annibal ad aram patris iuraverat; nec morabatur' BOH. N 'patri'. Fateor me non intelligere, quid genitivus 'patris' sibi velit, nam neque ultionem patris nec ad aram patris, sed Jovis optimi maximi Annibalem puerum novem annorum iuravisse Nepos narrat (Annib. 3). Juramentum vero eum a patre aris admotum patri praestitisse constat, cf. Oros. IV, 14: exinde odio Romani nominis, quod patri Amilcari, cum esset novem annos natus, ante aras iuraverat.

P. 36, 17 (I, 22. II, 6). 'Trasimenus lacus, tertium fulmen Annibalis, imperatore Flaminio, pars nova Punicae fraudis' O; H cum codd. BI 'Flaminio ars nova'; N 'Flaminio ibi quoque ars nova'. 'Ars' scribendum esse apparet, nemo

enim pro 'novum documentum, novum exemplum Punicae fraudis' dixerit 'nova pars', ut Jahnius voluit. Cf. p. 61, 25 (I, 37. III, 3) secutus Annibalem artemque Cannarum. Sed ne sic quidem locus mendo caret. Nam si clades ante et post enarratas respicimus, videmus Florum primum loca dicere singularum cladium, deinde clades ipsas denotare vocabulo quodam translato, et bis quidem a tempestatum natura, ita ut gradatio insit: 'primi impetus turbo inter Padum atque Ticinum valido statim fragore detonuit'; 'Ticino Trebia succedit. Hic secunda Punici belli procella desaevit Sempronio consule'; 'quartum id est paene ultimum volnus imperii Cannae'. Inde sequitur Florum Trasimenum lacum tertium fulmen Annibalis dixisse, neque vero novam artem Punicae fraudis, nam verbis 'turbo, procella, fulmen' tempestatis ratio describitur. Accedit, quod supra eadem usus est translatione: 'igitur ubi semel se in Hispania movit illa gravis et luctuosa Punici belli vis adque tempestas destinatumque Romanis iam diu fulmen Saguntino igne conflavit, statim quodam impetu rapta medias perfregit Alpes et in Italiam ab illis fabulosae altitudinis nivibus velut coelo missa descendit'. Gravius igitur post 'Flaminio' interpungendum et ex Nazariano restituendum est 'ibi quoque ars nova'. Nam et ante et post cuique membro, quo singularum cladium naturam breviter significat, praeposita est particula aut loci aut temporis, ut 'tum Scipione duce fusus exercitus'; 'tum callidissimi hostes'; 'ibi in excidium'. Itaque totus locus sic restituendus est 'Trasimenus lacus tertium fulmen Annibalis imperatore Flaminio. ibi quoque ars nova Punicae fraudis'.

P. 37, 21 (I, 22. II, 6) 'Permissum est interim respirare Romanis et quasi ab inferis emergere' BOH. N 'interim respirare Romanus' omissis verbis 'permissum est'. Scriptura codicis B valde mihi languere videtur, praesertim in periodo, in qua scriptor semper summa usus est brevitate. Narratur, quanta contentione universus populus Romanus

2*

compensaverit clades illas ingentes ab Annibale acceptas, ut senatus, equites, plebs virtute inter se certaverint. Itaque quod B addit 'permissum est' minime probandum videtur, sed cum N scribendum esse 'Interim respirare Romanus'. Solet enim Florus sententiam quandam breviter et cum vi proponere, quam deinde accuratius exponit. Codicem B ab eiusmodi additamentis, quibus oratio, quae manca videretur esse, resarta est, non esse immunem, iam vidimus p. 10, 5 (I, 1. I, 5) et ad p. 88, 10 (II, 9. III, 21) exemplo non minus gravi comprobabimus.

P. 39, 5 (I, 22. II, 6) in codicibus et editionibus scriptum est: 'In Hispaniam missi Gneus et Publius Scipiones paene totam Poenis eripuerant (eripuerunt BI), sed insidiis Punicae fraudis oppressi rursum amiserant, magnis quidem illi proeliis cum Punicas opes cecidissent. sed Punicae insidiae alterum ferro castra metantem, alterum, cum vim evasisset in turrem, cinctum facibus oppresserant'. Haec sana non sunt, neque enim video, quid enuntiatum 'magnis quidem illi proeliis cum Punicas opes cecidissent', quod concessionem et ni fallor in universum eandem continet sententiam, quam verba 'paene totam eripuerant', hoc loco sibi velit. Deinde pronomen 'illi' cum emphasi quadam positum non placet, nec magis particula 'set', in qua iam Dukerus offendit. Puto particulam 'set' ex dittographia syllabae ent ortam inducendam et sic distinguendum esse: 'In Hispaniam . . . . amiserant. Magnis quidem (quippe?) illi proeliis cum Punicas opes cecidissent, alterum . . . . oppresserant'. Habemus igitur explicationem eorum, quae in priore enuntiato breviter tantum dicta erant, ut membrum 'magnis proeliis cum cecidissent' respondeat verbis 'paene totam eripuerant', ea, quae sequuntur, interitum Scipionum narrent.

P. 40, 27 (I, 22. II, 6): 'Nero in ultimo Italiae angulo summovebat Annibalem, Livius in diversissimam partem, id est in ipsas nascentis Italiae fauces signa converterat' NO.

BI 'summoverat'; Ib 'ultimū'. Halmius ut lectionem Bambergensis servaret, scripsit: 'Nero in ultimum Italiae angulum summoverat', quam coniecturam ut confirmet, dicit in praefatione p. IX: 'Plusquamperfectum retinendum esse, quo retento coniectura mea fere necessaria est, apparet ex membro contrario: Livius . . . signa converterat'. Relegat simul ad ea, quae supra dicta sunt: 'fugit et cessit et in ultimum se Italiae recepit sinum'. Nimia codicis B fiducia ductus vir doctissimus non dubitavit Floro peccatum contra fidem historiae imputare, quasi ex sententia Flori Claudius Nero Annibalem Roma recedentem summovisset. Florus hic breviter, sed accurate tradit, quae Livius l. XXVII, 41—45 narrat: dum Nero Annibalem, qui se in Apuliam receperat, retinet, Livius contra Hasdrubalem profectus erat. Nero igitur Annibalem sequebatur, ut Livius tute iter facere posset. Liquet inde imperfectum cum Nazariano a Jahnio summo iure retentum esse. Cf. Liv. XXVII, 41: id modo Romanum quaerere apparebat, ne abire hostem pateretur; Annibal elabi inde cupiens totis viribus in aciem descendebat.

P. 42, 28 (I, 23. II, 7): 'consul (Flaminius) . . . Thebas et Euboeam et grassantem sub Nabide tyranno suo Lacedaemona conpescuit' O; 'suo et Lacedaemona' BH, 'grassantem summauide suo' N, om. 'tyranno'. Ex vestigiis codicis N levi mutatione scribendum est: 'grassantem sub Nabide suo Lacedaemona'; 'tyranno' in B interpolatum est. Sic enim Florus pronomen possessivum 'suus' cum nominibus praecipue terrarum, sed etiam hominum coniungere solet. Cf. p. 25, 7 (I, 13. I, 19) eodem (Pyrrho) in Graeciam suam fugato. 38, 12 (I, 22. II, 6) (Annibalem) perpulit in Campaniam suam. 38, 19 ut de Italia sua dubitare debuisset. 41, 10 p. R. magni aestimabat asperrimum hostem in sua Africa debellare. Ibid. v. 12 coepit Italiae suae clades in Africa vindicare. 43, 18 (I, 24. II, 8) hic faventis Asiae suae numinis timor erat. 47, 7 (I, 28. II, 12) ita Macedoniam suam

vallaverat. 63, 10 (I, 38. III, 4) Didius vagos intra suam reppulit Thraciam. 66, 3 (I, 39. III, 5) titulos gloriae Pompeio suo Fortuna quaerebat. Ib. 28 ultro ab Albania sua lectum aureum mittentem. 72, 18 (I, 44. III, 10) cum Rhenum suum captum viderent. 75, 25 (I, 46. III, 12) dominantem in Italia sua. 114, 24 (II, 21. IV, 11) iuxta suum se conlocavit Antonium (Cleopatra). Simili ratione 68, 5 (I, 40. III, 6) dictum est 'Campaniam nostram terrere voluerunt'. — Particula 'et', quam B ante 'Lacedaemona' habet, ex sc id est 'scilicet' videtur orta esse, cum in archetypo
tyranno sc
extaret: 'sub Nabide suo Lacedaemona'.

P. 46, 17 (I, 17. II, 11): 'a centurione stuprata' O ex sua coniectura; B stuprum, NI stuprum passa, quod H haud dubie summo iure reposuit.

P. 47, 21 (I, 28. II, 12): '(Perses) fugit in maria insulamque Samothracen, fretus delubri religione' O ex Tollii coniectura; 'celebri religione' BNH. Halmius dicit praef. p. X: 'Perses victus fugit in maria insulamque Samothracen fretus celebri religione insulae, quae ἱερὰ νῆσος appellata (v. Diod. III, 55) sancta habebatur. Accedit quod paulo post Florus scripsit: ab illo quo confugerat templo, non delubro'. Equidem non intelligo, quid 'celebri' sibi velit, cum Persei, an religio Samothraces celebris esset necne, nihil interesse posset. Cf. Liv. XLV, 4 'in parvam insulam compulsus, supplex, fani religione, non viribus suis tutus esset'. Ob quam rem, si quid video, Tollii coniectura probanda est.

P. 48, 23 (I, 30. II, 14). In enarrando tertio, quod cum Macedonibus gestum est, bello describitur Andriscus auctor eius: 'quia vulgo ex similitudine Philippi Persae filii Pseudophilippus vocabatur, regiam formam, regium nomen, animum quoque regis implevit' O lectione ex utriusque codicis composita. Codices maxime variant: B 'sed quia vulgo philippus persae filius vocabatur' quod H recepit; N 'sed quia vulgo philippus ex similitudine philippi pseudophilippus vocabatur'.

Audaciae crimen ne mihi faciam, quamquam maxime vereor, tamen, qua hic locus restituendus esse videatur, proponam rationem. Verba codicis N 'ex similitudine Philippi' sic comparata sunt, ut vix ex inepta interpolatoris cuiusdam coniectura fluxisse videantur, quippe quae causam, cur Andrisco nomen Philippo inditum sit, contineant diversam ab ea, quam Livius refert. Hic enim de similitudine, quae Andrisco fuerit cum Philippo aut Persei patre aut filio maximo natu, qui cum patre ab Aemilio Paulo captus est (cf. Liv. 45, 16 et 28), nihil tradit, sed Andriscum ipsum se Persei filium vocasse ex pellice narrat epit. 47 et 49. Accedit quod Ampelius c. XVI de hoc Andrisco dicit: Pseudophilippus, vir plebeius et degener, cum ex similitudine formae Philippi filium se esse persuasisset etc. Haec cum Flori verbis in comparationem vocata suspicionem movent, genuinam huius loci scripturam ex Ampelio esse eliciendam. Nam hic Flori verba, ut in archetypo scripta erant: 'quia vulgo Philippus ex similitudine Philippi vocabatur', ita accepit, ut Andriscum se pro Philippi filio gessisse putaret. De voce 'Philippus', quae in utraque recensione legitur, dubitatio non est. In B verba 'ex similitudine Philippi' propter antecedens v. 'Philippus' omissa sunt. 'Pseudophilippus' glossema est, nam Andriscus regiam formam, regium nomen, animum quoque regium certe non implevit, quia vulgo Pseudophilippus vocaretur. Verbo tantum moneo, ex eo, quod N habet 'animo quoque regio', levi mutatione scribendum esse 'animum quoque regium' et propter aequabilitatem orationis et propter Flori dicendi consuetudinem, cf. ad p. 85, 6 (II, 7. III, 19).

P. 49, 10 (I, 32. II, 15): 'Tertium Punicum bellum et tempore exiguum (nam quadriennio raptum est) et in comparationem priorum minimum labore (non enim tam cum viris quam cum ipsa urbe pugnatum est) et plane maximum eventu: quippe tandem Carthago finita est' OHB; 'sed plane' N, et sic scribendum est. Tertium Punicum bellum quia tempore

exiguum et cum duobus prioribus comparatum minimi erat laboris, expectandum erat, ut eventus exiguus esset, sed maximo erat eventu. Eventus igitur maximus, quo tandem Carthago finita est, opponitur exiguitati et temporis, quo conficiebatur bellum, et laboris, comparatione cum prioribus bellis Punicis instituta. Eodem modo infra haec tria bella in comparationem inter se vocata sic sibi opponuntur, ut tertium particula adversativa insigne fiat: 'atquin si quis trium temporum momenta consideret, primo commissum est Punicum bellum, profligatum secundo, tertio *vero* confectum est'.

P. 51, 6 (I, 32. II, 16): 'quasi saeculum illud eversionibus urbium curreret, Carthaginis ruinam statim Corinthos excepit' BOH; 'ita Carthaginis' N. Haec coniunctio 'quasi — ita' non ita usitata neque sic comparata est, ut a librario quodam conficta esse videatur, praesertim cum Florus eadem usus sit p. 35, 26 (I, 22. II, 6) 'quasi has inferias sibi Saguntinorum ultimae dirae mandassent, ita manibus eorum parentatum est'; et similiter p. 102, 16 (II, 13. IV, 2) 'quasi nunquam esset dimicatum, sic arma rursus et partes'. Quare 'ita' ex Nazariano reponendum est.

P. 53, 19 (I, 33. II, 17): 'nisi dux illius motus initio belli vi oppressus esset, summae vir astutiae, si processisset, Olyndicus' O, B 'belli ut', tum 'summae vir audaciae'; N om. 'ut', tum 'summus vir astutus et audacia'; H cum B scripsit 'summae vir audaciae'. Probare non possum, quod Jahnius et Halmius syllabam 'ut' codicis B in 'vi' mutaverunt, sed eam dittographia vocis antecedentis ortam esse puto. Notio enim violentiae ad eum, qui noctu pilo vigilis interficitur, parum quadrat. Etiam p. 39, 9 (I, 22. II, 6), ubi O ex auctoritate codicis B scripsit 'cum vim evasisset in turrem', Halmius 'vim' mutavit in 'iam', codd. IN genuinam servarunt scripturam 'cum evasisset in turrem', omisso languido illo additamento. Idem mendum iu B deprehendimus p. 17, 29 (I, 7. I, 13) 'vident ut pari', ubi N recte habet 'vident pari',

Cf. Jahnii praef. p. XXVIII. Non magis possum probare, quod Halmius scripturam Bambergensis 'summae vir audaciae' recepit, quam in eis, quae de editione Jahniana scripsit, p. 186 ita defendere studet, ut dicat, 'pari temeritate' pertinere solum ad 'hastam argenteam quatiens', et ad gravitatem viri significandam audaciam propositam esse. Sed fibratio illa hastae argenteae nihil erat nisi astuti viri artificium, quo mentes permovere sibique conciliare studebat, neque vero facinus audax et temerarium. Itaque persistendum est in egregia Jahnii coniectura. Suspicor, post 'processisset' quaedam intercidisse, quibus Olyndicus cum viro aliquo rebus gestis insigni compararetur, ut Viriatus cum Romulo; nam 'si processisset' quo apte referam, non habeo, nam astutia viri eadem erat, sive procedebat, sive non procedebat.

P. 54, 9 (I, 33. II, 18): 'Numantia quantum Carthaginis Capuae Corinthi opibus inferior, ita virtutis nomine et honore par omnibus, summumque, si vero aestimes, Hispaniae decus' BOH; N 'si viros aestimes'. 'Vero' hoc loco nihil significare potest nisi 'cum veritate', quod parum aptum est, nam quae antecedit opum et laudis bellicae aestimatio, num minus vera est? Desideramus vocabulum, quo sententia, Numantiam summum Hispaniae decus esse, stabiliatur et probetur. Enunciati, quod sequitur, omnis vis in eo inest, quod quatuor milia Celtiberorum, quamvis urbs situ minus apta esset ad defendendum, neque muro et turribus munita, quadraginta milia Romanorum ita sustinuerunt, ut urbem invictam esse constaret. Itaque viris Numantinis omnis laus tribuitur. Quam laudem ut augeat, numerum Numantinorum, quos Velleius l. 1, 4 decem milia propriae iuventutis armasse, Appianus in Hispanicis p. 285 ed. St. octo milia narrat (Orosius nullius momenti est, nam transscripsit haec fere ad verbum), Florus, cum Livius quatuor milia Numantinorum triginta Romanorum sub Mancino consule vicisse tradidisset (cf. epit. 55), imminuere non dubitavit, quasi per totum

bellum exercitus Numantinorum quatuor tantum milibus constitisset. Dicit enim: 'quattuor milibus Celtiberorum quadraginta exercitum per annos undecim (N quattuordecim) sola sustinuit'. Simul fingit, urbem facilem accessu fuisse (modice edito in tumulo ad flumen sita) neque muros habuisse, Appianus contra dicit: ἡ Νουμαντία ποταμοῖς δύο καὶ φάραγξιν ἀπόκρημνος, ὗλαί τε αὐτῇ πυκναὶ περιέκειντο καὶ μία κάθοδος ἦν ἐς τὸ πεδίον, ἣ τάφρων ἐπεπλήρωτο καὶ σκηλῶν. et Orosius V, 7, quamquam, ut ostendi, in obsidione Numantiae narranda Florum exscripsit, 'Numantia tria milia passuum ambitu muri amplexabatur'. Cur igitur Florus haec commenta finxit? Ni fallor, ut viros Numantinos extolleret. Porro quae infra dicta sunt: 'ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquam sustineret; — quodque nemo visurum se unquam speraverat, factum, ut fugientes Numantinos videret; — dedere etiam se volebant, si toleranda viris imperarentur; — orantes proelium, ut tamquam viros occideret; — unus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur': haec si respicimus, dubitandi causa non est, quin lectio Nazariani 'viros' revocanda sit.

P. 59, 1 (I, 35. III, 1): 'hic et urbem ab Hercule conditam Capsam, in media Africa siti anguibus harenisque vallatam, mira quadam felicitate superavit'. 'siti' BOH; N 'sitam'. Sermo est de bello Jugurthino et Marii rebus gestis. Halmius in praefatione p. XII recte dicit, siti harenisque tautologum videri, sed quod ipse coniecit 'situ', non minus tautologum est, eo enim quod Capsa in media Africa sita dicitur atque harenis vallata, urbem difficilem accessu fuisse ipso situ iam significatur. Restituendum est, quod N exhibet 'sitam'; primum origo urbis, deinde situs, postremo quae oppugnaturo eam obsistebant, referuntur, quodque vero membrum participio suo 'conditam — sitam — vallatam' exornatum est.

P. 59, 20 (I, 36. III, 2): 'Prima trans Alpes arma nostra sensere Saluvii, cum de eis fidissima atque amicissima civitas

Massilia quereretur' BOH; N 'cum de incursionibus eorum fidissima'. In codice B lacunas ex arbitrio, ne oratio manca esset, expletas esse, ex hoc potissimum loco intelligere possumus; nam ea, quae proxime sequuntur, scripturam Nazariani esse veram, lucide demonstrant: 'Allobroges deinde et Arveni (arma nostra sensere), cum adversus eos similes Haeduorum querellae opem et auxilium nostrum flagitarent'. Quis enim, qui sana mente praeditus est, loquitur de similibus querellis, nisi antea rem, de qua alii questi sunt, rettulit? Scribendum igitur est cum codice N 'de incursionibus eorum'. Eadem verba p. 72, 1 (I, 44. III, 10) leguntur: 'Haedui de incursionibus eorum querebantur'. De re cf. Liv. ep. LX: M. Fulvius Flaccus primus Transalpinos Ligures bello domuit, missus in auxilium Massiliensibus adversus Salluvios Gallos, qui fines Massiliensium populabantur. LXI: Cn. Domitius proconsul adversus Allobroges ad oppidum Vindalium feliciter pugnavit, quibus bellum inferendi causa fuit, . . . quod Aeduorum agros . . vastassent.

P. 62, 15 (I, 37. III, 3). Sermo est de nuntio victoriae de Cimbris partae per Castorem et Pollucem allato: 'hunc tam laetum tamque felicem liberatae Italiae nuntium non per homines, ut solebat, populus Romanus accepit, sed per ipsos, si credere fas est, deos' NOH; B 'fas est si credere', Spengelius p. 20 recte monet, verba 'si credere fas est' significare non posse, rem fidem superare, cum idem iam bis narratum sit, post pugnas ad lacum Regillum et apud Pydnam commissas, p. 14, 13 (I, 5. I, 11); 48, 5 (I, 28. II, 12); neque Flori esse de eiusmodi rebus dubitationem quandam profiteri, quippe qui p. 40, 8 (I, 22. II, 6) dixerit: 'quid ergo miramur moventi castra a tertio lapide Annibali iterum ipsos deos restitisse, deos, inquam, nec fateri pudebit': sed quod vir doctissimus proposuit 'fas est sic credere', non placet, quo enim 'sic' spectat? Ob quam rem Sauppius, ut mecum communicavit, illud 'si' rectissime inducendum putat.

P. 62, 27 (I, 38. III, 4). Thraces, in proximas provincias incurrere non contenti, Thessaliam atque Delmatiam, in Adriaticum mare usque venisse dicuntur. Legitur deinde in codicibus: 'eoque fine (N sini) contenti, quasi interveniente natura, contorta in ipsas aquas tela miserunt'. Haec sana non esse iam pridem intellectum est, ob quam rem Gronovius 'non contenti', Graevius 'retenti' coniecit. Jahnius et Halmius Graevii coniecturam receperunt. Quomodo syllabae con et re permutatae sint, quia intelligi nequit, alia coniectura locum sanare non absonum videtur. Quid si pro 'contenti' scribimus 'continentis'? quo vocabulo Florus p. 29, 7 (I, 18. II, 2) usus est: 'ut Sicilia ad continentem suam revocanda videretur'; 44, 6 (I, 24. II, 8) 'Euboeam insulam continenti adhaerentem'. Similiter p. 121, 6 (II, 33. IV, 12) in codice N 'continenti' scriptum est pro 'contenti'. Ne quis 'in' requirat, adscribo exempla ab Halmio in praef. p. VI notata: 12, 24 (I, 3. I, 9) contione media virgis cecidit. 32, 17 (I, 18. II, 2) cum praedae omnibus promunturiis insulisque fluitarent. 66, 8 (I, 40. III, 5) media Armenia. 100, 5 (II, 13. IV, 2) Pelusio litore.

P. 74, 28 (I, 45. III, 11). Postquam narratum est bello Parthico exercitum Crassi deletum esse ipsumque ducem vix captivitatem morte effugisse, haec leguntur in codicibus: 'sic quoque relatum caput ludibrio hostibus fuit. Filium ducis paene in conspectu patris idem (eisdem N) telis operuerunt'. Tum sequitur, quid de exercitus reliquiis factum sit. Denique additur: 'caput eius recisum cum dextera manu ad regem reportatum ludibrio fuit, neque indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infusum est' et q. s. Jahnius in praef. p. XX dicit se nullam causam invenire posse, cur de hac contumelia bis referatur, eisdem fere verbis intra tam parvum spatium repetitis. Quod ultimo capite legatur, praeterquam quod accuratius rem enarret, etiam Jordanis auctoritate tutum esse; reliquum igitur esse, ut,

quod priore loco legatur, ab eo interpositum credamus, qui, quid de mortuo Crasso factum sit, statim narrationi de morte eius subiungendum putaverit idque breviter indicaverit. Quibus verbis deletis id quoque nos consequi, ut longe aptius quadrent, quae de Crassi filio narrentur. Itaque Jahnius verba: 'sic quoque relatum caput ludibrio hostibus fuit' uncinis circumdedit, et Halmius eum secutus est. Videamus, si placet, num recte egerint. Quo ordine verba in codicibus leguntur, retineri non posse apparet, sed unde medela petenda? Historiam si respicimus, hic narrationem brevem et valde contractam habemus pugnarum Crasso duce ad Carrhas commissarum, quae praeterea leguntur in Livii epitoma 106: M. Crassus bellum Parthis illaturus Euphratem fluvium transiit, victusque proelio, in quo etiam filius eius cecidit, cum reliquias exercitus in collem recepisset, evocatus in conloquium ab hostibus velut de pace acturis, quorum dux erat Surenas, comprehensus, et, ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus est. Inde iam patet, filium ante patrem, quod quidem etiam Florus verbis 'paene in conspectu patris' indicat, sed in proelio occisum csse, neque vero tum, cum Crassus pater in colloquium evocaretur. Qua cum narratione Orosius consentit, qui Publium Crassum proelio, Marcum Crassum postea in colloquio occisum esse narrat. Idem refert Plutarchus multis verbis in vita Crassi. Quare iam Tollius verba 'filium . . operuerunt' ante haec 'ipse in colloquium sollicitatus' esse ponenda censuit, sed tum, quam verba 'sic quoque relatum caput ludibrio hostibus fuit' habent, remanet offensio. Plutarchus inde a capite 25 narrat, M. Crassum, cum exercitus sagittis Parthorum misere conficeretur, magno perculsum timore, Publium filium, ut impetum faceret, cum quatuor fere milibus militum praemisisse, quorum, cum eodem modo telis exciperentur, magna strages edita est. Publius vero desperans de salute armigero latus perfodiendum praebuit, quod exemplum sequuti nobiles volun-

taria morte occubuerunt, reliqui Parthorum sagittis oppressi sunt. Quo facto hostes Publii sociorumque cadaveribus truncatis ad Marcum Crassum reversi sunt (*τὰς κεφαλὰς τῶν περὶ τὸν Πόπλιον ἀποκείραντες ἤλαυνον εὐθὺς ἐπὶ τὸν Κράσσον*). Qui cum de filii sorte sollicitus impetum pararet, hostes recisum filii caput praefixum hastae ferentes probris et maledictis patrem sunt prosecuti (cap. 26: *ἐν τούτῳ δ' οἱ πολέμιοι προσεφέροντο κλαγγῇ καὶ παιᾶνι φοβερώτεροι, καὶ πολλὰ τῶν τυμπάνων αὖθις περιεμυκᾶτο τοὺς Ῥωμαίους . . . οἱ δὲ τὴν κεφαλὴν τοῦ Ποπλίου κομίζοντες ὑπὲρ αἰχμῆς ἀναπεπηγυῖαν, ἐγγὺς προσελάσαντες ἀνέδειξαν, ὕβρει πυνθανόμενοι τοκέας αὐτοῦ καὶ γένος. οὐ γὰρ δὴ πρέπειν γε Κράσσου πατρὸς ἀνανδροτάτου καὶ κακίστου γενναῖον οὕτω παῖδα καὶ λαμπρὸν ἀρετῇ γενέσθαι*). Hanc Plutarchi narrationem sequutus Flori verba sic esse ordinanda existimo: 'sic miserabili strage deletus exercitus. filium ducis paene in conspectu patris idem telis operuerunt. sic quoque relatum caput ludibrio hostibus fuit, ipse in colloquium sollicitatus', et quae sequuntur; qua distinctione et ipsa narratio completur et totus versus servatur. De 'sic quoque' cf. p. 32, 4 (I, 18. II, 2) sic quoque magna praeda. 107, 20 (II, 16. IV, 6) verum sic quoque civitas lacrimas tenere non potuit. 112, 21 (II, 20. IV, 10) sic quoque hostem non defore; similiter 21, 16 (I, 12. I, 17) sic quoque par omnibus fuit O, BINH 'sic tamen quoque'; 122, 11 (II, 33. IV, 21) sic quoque non incruento certamine O, sic tamen quoque BNH.

P. 75, 25 (I, 46. III, 12): 'ac nescio an satius fuerit populo Romano Sicilia et Africa contento fuisse, aut his etiam ipsis parcere dominanti in Italia sua, quam eo magnitudinis crescere, ut viribus suis conficeretur' BOH; N 'his etiam ipsis carere dominanti'. Lectionem Nazariani equidem praetulerim, nam opponuntur sibi 'contento fuisse — carere' et 'crescere' ita, ut in priore comparationis membro gradatio

insit, quae lectione codicis B tollitur. Neque enim bene notioni crescendi opponi parcendi liquet.

P. 82, 22 (II, 5. III, 17). Narratur, quem exitum seditio Drusiana habuerit: 'et pretium rogationis statim socii flagitare' BOH; N 'sed pretium'. Eo quod socii pretium rogationis postulabant, inceptum Livii Drusi, postquam in id tempus omnia prospere cesserunt, in malam partem ire coepit. Ut legem iudiciariam perferret, sociis spem civitatis ostenderat, qui lege perlata id, quod promiserat, poposcerunt, quod praestare neque potuit nec, si Floro fides, voluit. Inclinatio igitur fortunae adversativam flagitat particulam, quam N habet.

Extremo capite scripsit O ex Mommsenii coniectura: 'nec ideo minus socii promissa Drusi a populo Romano reposcere armis destiterunt'; cdd. praebent 'desierunt'. Halmius 'minus' uncinis inclusit dicitque in praefatione p. XV: 'in loco mendum esse apparet, sed incertum, sitne minus an desierunt inducendum, an, quod Dukerus voluit, magis pro minus corrigendum'. Mihi dubium non est, quin 'desierunt' delendum sit, neque enim antea a populo Romano socii civitatem poposcisse dicuntur, sed a Livio, et aequabilitas orationis infinitivum, quem historicum vocant, flagitare videtur. Haec enim verba, quibus transitum ad bellum sociale facit, iis, quae supra leguntur 'sed pretium rogationis statim socii flagitare' respondent. De genere interpolationis confer quae ad p. 37, 21 (I, 22. II, 6) dicta sunt.

P. 84, 3 (II, 6. III, 18): 'nam ipse Julius Caesar exercitu amisso cum in urbem cruentus referretur miserabili funere, mediam per viam defecit' O ex Titzii coniectura, spreto quod idem coniecit pro 'funere' 'fine' scribendum esse; H 'media in urbe per viam defecit'; codd. 'mediam urbem per viam fecit'; Lipsius 'mediam urbem permadefecit'. De tali Julii Caesaris consulis obitu cum nihil traditum sit, contra Livius ep. 73 (Lucius Julius Caesar consul

feliciter adversus Samnites pugnavit, ob eam victoriam saga Romae posita sunt) et Orosius V, 18 dicant, eius victoria motum sagum deposuisse senatum, quamquam et ipse antea victus erat, Freinshemius 'Rutilius consul' scribendum esse recte censuit, cuius lectionis in B, qui 'illius Caesar' exhibet, adhuc vestigia extant. quem Rutilium proelio occisum atque cadaver Romam relatum esse Appianus narrat b. c. p. 376 et 377 ed. St. Rutilius enim consul cum Mario pontibus super Lirim constructis traiicere conatur, sed insidiis circumventus Rutilii exercitus caeditur: *ὅτε Ῥουτίλιος αὐτὸς ἐν τῷδε τῷ πόνῳ βέλει τρωθεὶς ἐν τῇ κεφαλῇ μετ᾽ ὀλίγον ἀπέθανε. ...Ῥουτιλίου δὲ τοῦ σώματος καὶ πολλῶν ἄλλων ἐπιφανῶν ἐπὶ ταφὴν ἐς Ῥώμην ἐνεχθέντων, ἥ τε ὄψις ἀηδὴς τοῦ ὑπάτου καὶ τοσῶνδε ἄλλων ἀνῃρημένων καὶ πολυήμερον ἐπὶ τῷδε πένθος ἠγέρθη. καὶ ἀπὸ τοῦδε ἡ βουλὴ τοὺς ἀποθνήσκοντας ἐν τοῖς πολέμοις ἔκρινεν ἔνθαπερ ἂν ὦσι θάπτεσθαι.* cf. Liv. epit. 73: cum P. Rutilius consul parum prospere adversus Marsos pugnasset et in proelio cecidisset; cum quo consentit Orosius, qui V, 18 dicit Rutilium cum octo milibus Romanorum caesum esse atque arma et corpora interfectorum in conspectum Marii legati Tolenum fluvium pertulisse atque in testimonium cladis evexisse. Sed sive Flori sive librariorum errorem esse statuimus, Titzii coniectura 'defecit' probari non potest, quod narratio illa de miserabili funere apertissime est Rutilii. Expectamus sententiam qualis est 'media in urbe populum Romanum (quod in 'per' latere posset) luctu affecit'. Coniectura, quam proponere in mentem venit, 'mediam urbem feralem fecit' nescio an Flori manibus iniuriam iniungam.

Eadem pagina l. 15 (II, 7. III, 19) Halmius rectissime lectionem codicis N 'inter initia urbis', ubi B exhibet 'in italia urbis', quod Jahnius mutavit in 'inter initia libertatis', revocavit. Florum enim in eiusmodi notionibus, quae ad

tempus spectant, non ita accuratum esse, interpretes ad p. 14, 25 (I, 5. I, 11) adnotarunt.

P. 85, 6 (II, 7. III, 19): 'regisque ne quid mali deesset decoratus insignibus' BOH; N 'regiisque'. Agitur de Euno Syro, qui anno 133 a. Ch. bellum servile in Sicilia excitavit. Miror, Halmium, qui p. 58, 24 (I, 35. III, 1) recte contra codicum auctoritatem 'thensaurisque regis' exhibentium 'thensaurisque regiis' scripsit, respiciens ad 57, 2 (I, 34. II, 20) in bonis regiis; 74, 14 (I, 46. III, 11) regiis inhians ille thensauris, sprevisse hoc loco lectionem codicis N, quae Flori dicendi rationem servat. cf. 27, 16 (I, 17. I, 24) regio furore. 43, 28 (I, 24. II, 8) rex nomine regio fretus. 85, 20 (II, 7. III, 19) regium in morem fronte redimita. 113, 15 (II, 21. IV, 11) in regio sinu. 48, 25 (I, 30. II, 14) Andriscus regiam formam, regium nomen, animum quoque regis implevit BOH, quo loco emendata Nazariani lectione 'animo quoque regio' scribendum est 'animum quoque regium'. Nam Florus si, quod regum et quasi cum dignitate regia coniunctum esse solet, rei cuidam tribuit, adiectivo utitur.

P. 88, 10 (II, 9. III, 21). Habemus hic periodum arte magna compositam, in codice B vero perturbatam, quam, quo melius perspiciatur, totam adscribo: 'Bellum civile Marianum sive Sullanum tribus, ut sic dixerim, sideribus agitatum est. Primum levi et modico tumultu maiore quam bello, intra ipsos dumtaxat armorum duces subsistente saevitia; mox atrocius et cruentius per ipsius viscera senatus grassante victoria; ultimo non civicam modo, sed hostilem quoque rabiem supergressum est, cum armorum furor totius Italiae viribus niteretur, eo usque odiis saevientibus peractum est, donec deessent, qui occiderentur' BO; in codice N verba 'peractum est' desunt. Jahnius verba 'supergressum est' et 'peractum' sic posita ferri non posse recte vidit, et 'est' post 'supergressum' in adnotatione deleri vult, quem sequutus Halmius in editione 'est' post 'supergressum'

uncinis circumclusit. Ut verba, quae solus B exhibet, utcunque servarent, viri docti opinione codicis illius praeiudicata inducti sunt, ut illo 'est', quod consensus codicum tuetur, ad arbitrium deleto glossa verba scriptoris depravarent. Jam in utraque recensione quod 'supergressum est' legitur, suspicionem movere debebat, 'peractum est' in B cuiusdam librarii ineptum esse additamentum, quod quidem explicanda totius periodi structura me esse comprobaturum vel maxime spero. Enumerantur tria bellorum civilium tempora et secundum naturam suam ita describuntur, ut, quanto atrociora sint facta, cognoscatur. Et primum quidem membrum ablativis absolutis 'subsistente saevitia' finitur, itemque secundum 'grassante victoria', unde concinnitatem totius periodi misere turbari verbis 'peractum est' in tertio membro additis apparet. Nam in prioribus membris ablativi absoluti causas continent, cur scriptor cuiusque belli civilis naturam sic, ut fecit, descripserit; quare tertium periodi membrum eadem ratione sit comparatum necesse est, quod quidem est, si cum codice N verba illa 'peractum est' delemus. Nam verbis 'eo usque odiis saevientibus, donec deessent, qui occiderentur' plane ut in duobus, quae antecedunt, membris explicatur, cur tertium bellum civile etiam hostilem rabiem supergressum sit. Deprehendimus igitur hic in B idem interpolationis genus, quod supra p. 37, 21 (I, 22. II, 6).

P. 94, 15 (II, 13. IV, 2): 'ac Mariana quidem Cinnanaque rabies iam intra urbem praeluserat, quasi si experiretur. Sullana tempestas latius, intra Italiam tamen detonuerat. Caesaris furor atque Pompei urbem, Italiam, gentes, nationes, totum . . imperium . . corripuit' BOH; in N 'iam' omissum est, et recte quidem. Bella civilia pro violentia sua describuntur: bellum Marianum quasi praelusio est, quae urbe se continet; Sullanum peragrat Italiam; Pompeianum totum imperium excitat. Quid igitur sibi vult illud 'iam'? Opponuntur sibi in his tribus colis primum 'rabies — tem-

pestas — furor'; deinde 'intra urbem — intra Italiam — totum imperium'; denique 'praeluserat — detonuerat — corripuit' tanta cum vi, ut, quam incommode in B 'iam' positum sit, facile intelligatur, neque enim quicquam est, quod huic particulae respondeat.

P. 96, 7 (II, 13. IV, 2): 'ut daretur consulatus absenti, quem decem tribuni favente Pompeio nuper decreverant, dissimulante eodem negabatur' BOH; N 'cumde simulante', quod emendandum puto in 'tum dissimulante', quia 'nuper' tale quid desiderare videtur.

Ibidem scripserunt OH: 'ille contra flagitare decreta, ac, nisi fides permaneret, non remittere exercitum', ut B exhibet; N 'non se remittere', quod reponendum est. Ex enuntiato enim conditionali 'nisi fides permaneret' intelligimus, 'remittere' non posse esse infinitivum historicum, ut 'flagitare', sed pendere ab hoc ipso, qua re pronomen 'se' minime abesse potest.

P. 99, 11 (II, 13. IV, 2): 'adnotatum quoque committentis aciem Crastini pilum, qui mox adacto in os gladio, sic inter cadavera repertus est' BNOH. Ominibus, quae pugnam Pharsalicam antecedebant, enarratis Florus ad descriptionem eius pergit et, quae mirabilia putat, refert. At cum vocabulo 'pilum' quid sibi voluerit, ex lectione codicum non patet. Si nihil aliud dicere voluisset, nisi Crastinum pugnam commisisse, ut Plutarchus in vita Caes. c. 44 et Appianus b. c. p. 475 D ed. St. narrant, cur adnotatum pilum? Ob quam rem Freienshemius coniecit 'dictum' scribendum esse, memor verborum Crastini, quae refert Caes. b. c. 3, 91: 'Faciam hodie, imperator, ut aut vivo mihi aut mortuo gratias agas'. Etiam Plutarchus et Appianus simile eius dictum tradunt. Mihi vero Florus versus Lucani Pharsaliae, qui leguntur VII, 470 — 72 ante oculos habuisse videtur:

'Di tibi non mortem, quae cunctis poena paratur,
Sed sensum post fata tuae dent, Crastine, morti,

Cuius torta manu commisit lancea bellum
Primaque Thessaliam Romano sanguine tinxit'.

Flori verba colorem versus 472 quam lucide praebeant, vix dicendum est. Hunc versum imitatus pili ut rei maxime memoria dignae, quippe quod proelium quasi commiserit, mentionem facit. Itaque scribendum est: 'adnotatum quoque committens aciem Crastini pilum'. Quam accurate Florus interdum Lucanum imitatus sit, p. 96, 2 (II, 13. IV, 2) docebit: 'sic de principatu laborabant, tamquam duos tanti imperii fortuna non caperet' comparatis Lucani verbis lib. I, 109 et 110:

— populique potentis,
Quae mare, quae terras, quae totum possidet orbem,
Non cepit fortuna duos.

P. 100, 9 (II, 13. IV, 2): 'quis non peractum esse cum Pompeio crederet?' BOH; N 'peractum esse — crederet bellum'. In B 'bellum' perperam omissum est, nam cum Pompeio ipso peractum erat, neque vero bellum finitum. Si sententia Flori esset: 'nondum cum Pompeio peractum erat', quomodo bellum in Aegypto gestum statim subiungere potuit, quod sine partibus fuisse ipse expresse dicit: 'et in Aegypto quidem sine partibus bellum'. Nec magis, quod deinde sequitur, Ponticum bellum cum Pharnace gestum ad Pompeium aut ad Pompeianos pertinet. Florus nihil aliud dicit nisi Pompeio occiso expectandum fuisse, ut etiam bello finis imponeretur, quod non factum est. Eandem sententiam infra Caesaris militibus tribuit: 'eoque acrior Caesarianorum impetus fuit, indignantium post Pompeium crevisse bellum'.

P. 103, 23 (II, 13. IV, 2) narratur, qua arte Caesar in pugna Mundensi re paene ad summum discrimen adducta animum suis addiderit, hostium fregerit, cum quinque Labieni cohortes castris praesidio missae speciem fugae praeberent. Legitur enim: 'hoc aut et ipse credidit, aut dux callidus arripuit in occasionem, et quasi in fugientes et iam

victos simul et suorum erexit animos et hostis perculit' OH; B 'quasi in fugientes et invictos'; N 'quasi fugientem et (?) invectus'. Haec sana non sunt, ut particulae 'et' docent; nam primo loco positum antecedentem enunciationem cum sequenti connectit, qua, quomodo Caesar occasionem arripuerit, explicatur. Quod sequitur 'simul' indicat, quae proxime antecedant verba 'quasi in fugientes et iam victos' pariter ad sententias particulis 'et — et' coniunctas pertinere, quod lectione Jahnii et Halmii retenta fieri nequit. Quis tandem dixerit 'in fugientes et iam victos hostes perculit'? Perspicuum igitur est, vocabulo opus esse, quo, quid Caesar egerit, ut et suorum animos erigeret et hostium percelleret, indicetur, quod quin sit 'invectus' codicis N, mihi non est dubium. Alta voce Caesar in hostes invectus est, quasi fugerent, qua arte et suos confirmavit et hostes perturbavit. Non satis perspicio, an 'et' particula, quam B post 'fugientes' habet, etiam in N legatur, cum Salmasius et qui eum sequuti sunt editores eam tacite omiserint. Quae si in Nazariano non est, legendum puto 'quasi in fugientes invectus', quod maxime placet, sin vero extat, sic ex utroque codice componenda est vera lectio: 'et quasi in fugientes et iam victos invectus', quae lectio propter insuavem similium syllabarum repetitionem minus probabilis est. De genere dicendi cf. p. 23, 4 (I, 13. I, 18) invectus in regem.

P. 106, 1 (II, 14. IV, 3) 'omni genere discriminum, civilibus externis servilibus terrestribus ac navalibus bellis omne imperii corpus agitatum est' BOH; N om. 'externis servilibus'. Spengelius p. 6 bene monet 'servilibus' hic locum non habere, quippe cum belli servilis in iis, quae sequuntur, nusquam fiat mentio. Itaque interpolatio in B manifesta est.

Ibid. v. 13 (II, 15. IV, 4): 'denique ad opprimendum iuvenem palam arma moliri, et iam parato exercitu in Cisalpina Gallia resistentem motibus suis Decimum Brutum obsidere. At Octavius Caesar' O ex sua coniectura; B 'obsiderat'.

Rectissime Halmius ex codice N lectionem 'obsidebat' revocavit addita particula 'at' ad verba proxima. In iis, quae antecedunt, conatus Antonii ad Octavianum opprimendum facti enumerantur: 'ipse lacerare hereditatem, ipsum insectari probris, . . cooptationem Juliae gentis inhibere', quorum summus est bellum. Huius belli initium obsessio Bruti erat, ob quam rem hic novum enunciatum initium capit. Terminationes imperfecti et plusquamperfecti in B permutatas esse supra iam demonstravimus p. 40, 27 (I, 22. II, 6).

P. 108, 27 (II, 17. IV, 7). Locus ab editoribus multum agitatus, neque vero, ut mihi videtur, sanatus, quorum, ut priores transeam, Jahnii et Halmii recensiones tractabo. Ac Jahnius quidem scripsit: 'acie namque commissa cum pari ardore aliquandiu dimicatum foret, et, quamvis duces inde praesentes adessent, hinc alterum corporis aegritudo, illum metus et ignavia subduxissent, staret tamen pro partibus invicta fortuna et ultoris et qui vindicabatur, proelium adeo anceps fuit, ut par utrimque discrimen exitus proelii docuerit: capta sunt hinc Caesaris castra, inde Cassi. en quanto efficacior est fortuna, quam virtus!' Ex variis codicum lectionibus graviores tantum adscribo: 'et' post 'foret' addidit Jahnius ex recentioribus codicibus (ς), om. BN; 'proelium' O ex sua coniectura, codices 'primum' exhibent; 'fuit ut' B, N om. 'ut', quod ante 'exitus' habet; 'docuerit' O ex sua coniectura, codd. 'docuit'; 'en' coniecit Halmius, B 'et', N 'sed'. In restitutione verborum Jahniana primum tautologia, quae inest in verbis 'cum pari ardore aliquandiu dimicatum foret, proelium adeo anceps fuit, ut par utrimque discrimen docuerit' ferri nequit; deinde coniectura Jahnii 'proelium' pro 'primum' eo refutatur, quod eiusdem vocis repetitio paucis interiectis valde dura est. Jam quod utraque recensio 'primum — docuit' habet, suspicio movetur, ne correctura horum verborum ex arbitrio facta sit. Halmius corrigendo et transponendo locum sanare studuit Graevii et

Spengelii secutus emendationes. Scribit enim: 'acie namque commissa cum pari ardore aliquandiu dimicatum foret, quamvis duces inde praesentes adessent, hinc alterum corporis aegritudo, illum metus et ignavia subduxissent, stabat tamen pro partibus invicta fortuna et ultoris et qui vindicabatur, ut exitus proelii docuit. primum adeo anceps fuit, ut — par utrimque discrimen — capta sint hinc Caesaris castra inde Cassi. en quanto etc'. Haec sane ingeniose excogitata sunt et probanda essent, nisi audacius facta viderentur et si nexus cum iis, quae antecedunt, pateretur. Florus enim particula 'namque' in initio enunciati posita se explicaturum esse significat, quo modo factum sit, ut castra Caesaris caperentur. Nam antea dicit: 'sed nihil illo praestantius, quod Caesaris medicus somnio admonitus est, ut Caesar castris excederet, quibus capi imminebat; ut factum est. acie namque commissa'. Itaque haec, quam modo exposui, gravissima est sententia, neque vero, quod Halmius in scriptione saepius commemorata p. 18, ut illud 'et' post 'foret' reiiciat, contendit, haec: 'nam quamquam aliquamdiu pari ardore pugnatum est, tamen, quamvis neuter ducum Caesarianorum praesens esset, fortuna postremo a Caesarianis stetit'. Apparet igitur verba 'castra Caesaris capta sunt' nullo modo ab eis, quae antecedunt, separari posse, quippe quae explicationem vocabulorum 'par utrimque discrimen' contineant, quibuscum opposita sunt verbis, quae inde a 'cum pari ardore' usque ad 'vindicabatur' leguntur; quare particula 'et' post 'foret' carere non possumus. Ardor pugnandi par erat, absentia ducum in altero exercitu compensabatur fortuna Octaviani et Caesaris; ita factum est, ut proelium primum pari utrimque discrimine finiretur, captis Caesaris et Cassii castris. Qua re ita locum restituo: 'acie namque commissa, cum pari ardore aliquandiu dimicatum foret, et, quamvis duces inde praesentes adessent, hinc alterum corporis aegritudo, illum metus et ignavia subduxissent, staret tamen pro partibus

invicta fortuna et ultoris et qui vindicabatur, primum par utrimque discrimen exitus proelii docuit: capta sunt hinc Caesaris castra, inde Cassi. sed quanto'. Cum pari ardore pugnaretur et fortuna absentiam ducum in parte Caesarianorum aequaret, consentaneum erat, exitum belli ancipitem et discrimen utriusque exercitus par esse; at fortuna hanc aequabilitatem in favorem Octaviani mutavit. Videmus, particulam Nazariani 'sed' optime ad verba 'primum par discrimen' respondere neque opus esse Halmii coniectura. Ut illud 'par discrimen' explicaret, librarius quidam usitatum illud Floro 'adeo anceps fuit' adiecit, et ii, quorum recensiones BN exhibent, particulam 'ut', qua 'adeo' fulcirent, de suo addiderunt. Inde factum est, ut in codicibus diversis locis poneretur. Ceterum si quis malit: 'primum par utrimque discrimen, ut exitus proelii docuit', non valde repugnabo.

P. 113, 1 (II, 20. IV, 10) O scripsit: 'infesta primum siti regio, tum quibusdam salmacidis fluvius infestior, novissime quae iam ab invalidis et avide hauriebantur noxae etiam dulces fuere'; H 'tum quibusdam salmacidae infestiores'; B 'quibusdam salmacidae' omissis iis, quae sequuntur usque ad 'noxae'; 'noxae' B prima manu; N 'quibusdam salmacidis fluvius infestior; noxiae'. Sermo est de expeditione ab Antonio in Parthos facta. Halmius dicit vocem 'fluvius' in N manifestam interpolationem esse, sed ex Plutarchi narratione scimus, de fluvio cogitandum esse: exercitum Antonii primum ad flumen pervenisse, cuius aquae acerbae et venenatae erant, deinde ad aliud dulcibus aquis. Verba sunt in vita Antonii c. 47: *οἱ δὲ πρῶτοι βαδίζοντες ἐντυγχάνουσι ποταμῷ ψυχρὸν μὲν ἔχοντι καὶ διαυγές, ἁλμυρὸν δὲ καὶ φαρμακῶδες ὕδωρ, ὃ ποθὲν εὐθὺς ὀδύνας ἑλκομένης τῆς κοιλίας καὶ τοῦ δίψους ἀναφλεγομένου παρεῖχε.* Accedit, quod in Halmii lectione 'quibusdam', quod cum salmacidis coniunctum utcumque ferri posset, minime placet. Compositionem huius periodi spectantes in primo membro rem, quae noxam attu-

lerit, esse dictam videmus, addito ablativo 'siti', qui causam continet; eadem compositio tertii membri est, nisi quod enunciatum relativum loco ablativi positum est: 'quae hauriebantur', unde eadem ratione etiam secundum fuisse comparatum verisimile est. Denique quod in primo et secundo enunciato adiectiva 'infesta, infestior' posita sunt, etiam in tertio ex N 'noxiae' restituo. Itaque totam periodum sic scribo: 'infesta primum siti regio, tum quidam salmacidis fluvius infestior, novissime quae . . . hauriebantur, noxiae etiam dulces fuere'. Ablativi terminatio ibus in utroque codice saepissime perperam usurpata est, cf. p. 46, 6 (I, 27. II, 11) quibus N pro qui; 53, 3 (I, 33. II, 17) ingruentibus pro incruentis B; 43, 20 (I, 24. II, 8) manibus pro manus, item p. 110, 28 (II, 18. IV, 8) B; 20, 20 (I, 11. I, 16) discoloribus pro discolori N etc.

P. 113, 24 (II, 21. IV, 11): 'positisque castris in Epiro' BOH; N 'positisque in Epiro castris', quae verborum collocatio Floro usitata est. Uno enim loco excepto semper, quo loco castra posita fuerint, verbis 'positis — castris' interponit. P. 17, 3 (I, 7. I, 13) positis inter Alpes et Padum sedibus. 31, 8 (I, 18. II, 2) cum serpens posita apud Bagradam castra vexaverit. 47, 7 (I, 28. II, 12) positis per abrupta castris. 66, 26 (I, 39. III, 5) positis sub ipso Caucaso castris. 98, 11 et 17 (II, 13. IV, 2) positis ad Oricum castris — positisque cominus castris. 102, 6 (II, 13. IV, 2) positis apud Bagradam castris. Ab hac dicendi consuetudine discedere videntur, quae p. 122, 5 (II, 33. IV, 21) leguntur: 'sed positis castris apud Asturam flumen trifariam diviso agmine tria simul Romanorum adgredi parant castra', sed verba 'apud Asturam flumen' fortasse melius cum iis, quae sequuntur, coniunguntur.

P. 115, 9 (II, 22. IV, 12): 'Breunos Cennos atque Vindelicos per privignum suum Claudium Drusum pacavit' BOH; N 'perpacavit'. Lectionem Nazariani revocandam esse, quae

sequuntur docent capita, quibus virtutem Augusti bellicam praedicare studet, ubi, si de populis ad internecionem caesis aut perfecte subactis sermo est, vim verborum praeposito 'per' auget, ut p. 115, 20 (II, 23) terga hostium percecidit. 116, 11 (II, 25) Delmatos perdomandos Vibio mandat. 117, 8 (II, 27) Thraces a Pisone perdomiti. Quare 117, 15 (II, 28) Halmius lectionem codicis N recte reposuit 'reppulit', ubi O ex B scripsit 'perpulit', nam Daci non ita repulsi sunt, ut nusquam redirent, sed tantum summoti. Vindelicos quidem per Drusum perpacatos esse constat.

P. 116, 5 (II, 24. IV, 12): 'sed capta sunt et in profluentem data' OH; cum in B extet 'in profluente', non video, cur Jahnius et Halmius lectionem Nazariani 'profluentes' spreverint; nam inde, quod supra dictum est 'caesi sunt in utrisque fluminibus', arma in utraque flumina proiecta esse necessario consequitur.

P. 119, 13 (II, 30): '(a Germanis) castra rapiuntur, tres legiones opprimuntur. Varus perditas res eodem quo Cannensem diem Paulus et fato est et animo secutus' NO; B 'perdi castra', unde Halmius scripsit 'perdita castra'. Vix bene inter se comparantur et iuxta ponuntur 'perdita castra' et 'Cannensis dies', cui respondet clades, quae et capta castra et oppressas legiones continet, ideoque O cum codice N recte scripsit 'perditas res'.

P. 122, 5 (II, 33): 'Astures per id tempus ingenti agmine a montibus niveis descenderant. Nec temere sumptus barbaris videbatur tum impetus' OH cum codice B, qui exhibet 'videbatur t.. impetus'; N 'nec temere sumptus ut barbaris impetus'. Verba 'videbatur tum' omittenda sunt: nam impetus non solum non temere videbatur Floro sumptus esse, sed non temere sumptus erat, ut Florus ipse dicit: 'fuisset anceps et cruentum et utinam mutua clade certamen cum tam fortibus, tam subito, tam cum consilio venientibus'. De genere interpolationis in B non iam est quod dicam. Illud t post 'videbatur' in B reliquum est ex repetita syllaba 'tur'.